

fornicationis, matrimonii <sup>a</sup> jura alterius sciant se A funditus perdidisse. In tertio vero genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna poenitentia eos subsequatur, et tamen matrimonii jura eis, non vicissim, sed ad alios non negentur. Ubi vero mancipia non unius sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit. <sup>b</sup> Quidquid vero negligendo sentitur, et virtute qua potuerit non emendetur; nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit. Plura sunt quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, et filia, et noverca, et pene innumera quæ menti ad scribendum non occurrunt: hujusmodi tamen, et his similibus personis, copula maritalis in sempiternum subtrahitur.

Vicesimo secundo, admonendi sunt ut sciant po- B pulis denunciare quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ evangelica et apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam: quæve opera iniquitatis eum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omni modo devitent: quia non solum in Evangelio vel reliquiis sanctorum crimen perjurii, sed in veritate quæ Deus est (si mentitur) perpetrare dignoscitur.

<sup>a</sup> *Jura alterius.* Sic laudati codices, rectius quam prior editio, *jura ulterius.*

<sup>b</sup> *Quidquid vero.* Locum hunc ita emendat Ache-

Vicesimo tertio, admonendi sunt ut sciant quia ecclesiis quibus præsent, sponsi facti sunt: et ideo omni vigilantia qualiter eas decorent, et incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.

Vicesimo quarto, ut horas canonicas, tam nocturnas quam diurnas, nullatenus præternittant. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solum Novi Testamenti sunt documenta eadem formulam observandi, sed etiam Veteris Testamenti patet ratio: quia Propheta Spiritu sancto instinctus profert: *Septies in die laudem dixi tibi (Psal. cxviii, 164).* Et: *Media nocte surgebam ad constendum tibi (Ibid., vers. 62).*

Vicesimo quinto, ut plebibus denuntient quod filios et filias spirituales quos in baptismo suscipiunt, eis fidejussores et sponsores fidei existunt, et pro eis diabolo, cui ante mancipati fuerant, abrenuntiant: et ideo usque cum adulti fuerint, et eis fidei suæ sponsonem et abrenuntiationis exposuerint et reddiderint, in sua providentia habeant. Et quod illi pro eis sponponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant

rius: *Quidquid vero negligenter consentitur et virtute, etc.*

ANNO DOMINI DCCCLIV.

# AUDRADUS

SENONENSIS CHOREPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN AUDRADUM.

(Galland., Bibl. Patr., tom. XIII.)

Ex sacerdote chorepiscopus Senonensis fuit Au- C dradus noster ad annum usque 849, quo in Parisiensi concilio omnes chorepiscopi qui erant in Francia depositi sunt (a). Scripsit librum *De Revelationibus*, anno 853, cujus excerpta legas apud Andræam du Chesne (b). In his memoratur liber *De Fonte vitæ*, hexametris scriptus, ad Hincmarum Rhemensem, quem primus edidit Oudinus (c) ex ms. abbatiæ

Floreffiensis, inter Scriptores Galliæ et Belgii. Erravit tamen vir doctus toto cælo, dum libellum hunc ipsimet Hincmaro attribuit, cum Audradum sine controversia parentem agnoscat. Ex eo nos illum exhibemus. Fuit porro Audradus cognomento *Modicus*, Burchardi Carnotensis episcopi consanguineus, interfuitque concilio Senonensi anno 853 (d).

(a) Lupus, ep. 40, eum magistrum suum vocat.

(b) Baron., ad an. 838, num. 6.

(c) Annal. Fuldens.

(d) Sigebert., cap. 94 de S. E.

## EPISTOLA AUDRADI AD HINCMARUM.

Nobilis ingenii linguam, facunde poeta,  
Cœlitus esse tibi dulci modulamine pandis,

Dum flagrans animo, virtutum pascua lustras,  
Dum salientis aquæ perfundis lumina rote.